

proposuit. Quare rogo instantius vestram v. p., quatenus eosdem per dictum Baltazarum inquietare occasione huius non permittatis. Cum enim illa in diocesi nostra acta sunt, coram me iure dirimi debent, attento eo precipue quod ego a domino nostro sanctissimo iudex ordinarius loci constitutus sim dictique cives contentissimi sunt omnia facere que
 5 iure illis coram me diffinita erunt, aut si et hoc sibi grave videtur ut iure disceptet, renunciet coram v. p. iuri sibi in dictam scolam quesito ipsi contenti ex hoc. Inveni etiam qui eorum domicellos moribus et disciplinis bonisque artibus informet. Confido p. v. quod eundem occasione huius remittet ad me ut iudicem suum, ut sic unicuique iura sua illibata serventur. Commendo me humiliter v. r. p. Ex castro Pragensi die secunda
 10 octobris.

141.

Hilarius, erzbischöflicher Dekan zu Prag, ersucht den Rektor der Universität den Baccalareus Balthasar Roder nach Prag zu schicken. Prag, 1486 Nov. 4.

Hdschr.: Stadtbibliothek Leipzig Cod. mscpt. Rep. II, 10^a fol. 113.

15 Venerabilis et egregie vir ac domine prestantissime post sui debitam commendationem. Memini me pridem sub diebus octobris dedisse litteras venerabili domino rectori universitatis Liptzensis in causa civium Cadanensium quam habent adversus baccalarium Balthasarum. Oravi venerabilitatem d. suam pro civibus, ne per hominem illum si dicere
 phas est levem vexarentur, sed cum delictum in diocesi commissum sit nostra, coram
 20 me ut iudice ordinario iure dirimeretur; expectabam tanti viri digna responsa, et nec quidem obtinui, sed etiam in non minimum diocesis nostre et officii mei a sede apostolica mihi commendati preiudicium intellexi, prefatos cives per d. fuisse citatos prout ex transumpto illud hodie deprehendi. Disputavi ego mecum hec etenim citatio si a viro plebeio emanasset recte illam iusteque confutavisse tamquam eius qui saltem in alterius messem
 25 mittere non vereretur. Nunc tanti viri arguere processum non debeo, velim tamen pater dignissime, ne levibus personis adversus nostros fideles viros et orthodoxos ita facile credatur. Consuevit ille Balthazar fortasse rectorias perambulans per suos aliquos noctibus exsaturare iram et quod in almo studio virtutis dum sub vindicta fuit ceperat nunc libertati donatus et proprie servire voluntati et libertatum se munire privilegiis contendit.
 30 Militum est privilegium ut cum in expeditione sunt, militaribus utantur privilegiis, studentum hec eadem libertas est ut cum disciplinis vacant, etiam temporalium incommodorum potiore privilegio ultra alios utantur; sed nec iste veteranus est neque in altissimas scientias evasit, ut merito etiam cum actu non regat, privilegio extra universitatem gaudeat. Preterea ut hominis conditionem preteream, non fugiat d. v. me a domino nostro sanctissimo
 35 constitutum esse administratorem, ut etiam quo reverendissimi domini archiepiscopi Pragenses legati nati iure et privilegio gaudebant, ego gaudeo fungorque ratione eius. Civium predictorum qui hac in parte rei sunt ego iudex competens sum, ut iuste recteque in eos obiecta dirimam. Adhuc ubi delictum natum est, ibi extinguere debet, presertim cum et ratione et clericatu de nostra sit iurisdictio. Cum actu studuit, studiorum pri-